



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1786**

**VD18 90119355**

§. 32. Belgradum intempestiva deditioe amissum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

diarum improvide, non exspectato pe- Sæc. XVIII.  
ditum adventu, deduxisset, nec hostem A. C. 1739.  
prævenire, eique stationem explicandæ  
aciei opportunam præripere intentus  
fuiſſet.

## §. XXXII.

*Belgradum deditione captum.*

Hac Cæsareorum clade elatus Mah-  
met Bassa supremus Vezirius ho-  
stem cum centies mille Turcis, Tarta-  
risque strenue inſequabatur; cumque  
valla cis Danubium versus Belgradum  
a Christianis derelicta cerneret, copio-  
siores nuperæ victoriæ fructus lecturus  
ipsam Albam Græcam seu Belgradum,  
firmissimum, & hunc ferme unicum  
contra Ottomanos aggerem, oppugnandi  
consilium cepit. Referebatur equi-  
dem, Tos Bassam Biolinensem Ducem  
Panſovæ iterato in Cæsareos irruisse,  
eumque ab Hildsburghufano & Palfio  
desideratis suorum octingentis sæpius  
repulsum fuisse: hæc ipsa tamen primi  
aggressus frustratio Vezirium magis  
stimulabat, ut sociorum mortem ipſo  
Belgradi excidio ulcisci decerneret.  
Confestim igitur die vigesima sexta Julii  
totum admovet exercitum, omnesque  
belli machinas circa muros ad fossas &  
aggeres impigro labore ducit, postea  
ad dexteram lævamque munitiones e-  
Ll 3 rigit,

Sæc. XVIII. rigit, non magis obsidendæ urbi val-  
 A. C. 1739 das, quam auxiliarium aggressionibus  
 impervias: Major autem erat Succovii  
 Gubernatoris fortitudo, sedulitas, ac  
 defendendæ urbis cura; hic quippe  
 hostium consilia, & opera observare  
 ac præcavere intentus, divisis inter  
 milites civesque laboribus mænia infi-  
 det, operibus insudat, munitiones non-  
 dum absolutas, quantum per temporis  
 angustias licuit, refici curat, novos-  
 que receptus addit: Demum tormen-  
 torum explosione ter repetita, læto-  
 que tympanorum, tubarumque cantu  
 animi ad propugnandum obfirmati si-  
 gnum Turcis ostendit: Ubi jam res se-  
 rio agi cæperat, præsidiarios inprimis,  
 notæ fortitudinis milites, ac cives cun-  
 ctosque incolas animare, ipse nulla  
 quidem neglecta urbis parte, totus ubi-  
 que adesse, sæpius suos peralacriter  
 compellare, ut magis vivere pertime-  
 scerent, si ab immani hoste vinceren-  
 tur, quam mori victores: Nec tamen  
 segniores erant obsidentium conatus;  
 cum enim Cæsareis fudes præacutas,  
 vimineas fasces, cratesque glebis ac  
 cespitibus infartas in Urbem advehendi  
 opportunitas deesset, huncque appara-  
 tum hosti cedere cogerentur, Ottomanii  
 eo ad tormentarios suos suggestus op-  
 portune usi, obsidionales fossas exiguo  
 pror-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1739.

prorsus intervallo usque ad aggerem portæ instructum promoverunt, quin tamen adhuc ad Urbis mœnia progredi auderent, latentes cuniculos veriti, cum aliunde vix momento tuti esse possent; ecquod assidue diu noctuque tam densa globorum tempestas in eos detonaret, ut quovis temporis momento si quis hostium ex aggeribus paululum supra munitiones caput attolleret, illico ex urbe tormentorum pilis certatim peteretur. Eodem tempore felix faustusque ad castra affertur nuntius de reportata Panzovæ victoria, mox ergo Cæsareus exercitus Belgrado appropinquat, ac die nona Augusti cis Danubium expeditam obsessis operam ferendi copiam habet: Cum vero ob præsidarii militis paucitatem Turcæ ad aggerem, receptumque in extrema muri parte venissent, Gubernator ut ferebatur, ad Wallisium Marefcalum, perscripsit, nec urbem nec arcem ultra mensum oppugnantium vim repellendo pares esse: Perlectis hisce literis Wallius Petro-Varadinum copias deducere, & imminens deditiois periculum Cæsari nuntiare decrevit: Obstupuit ad tam inexpectatum nuntium Imperator, nullaque mora Schmettavium, Tribunum rei militaris experientia longe celeberrimum, Belgradum mittit, cu-

Ll 4

jus

Sæc. XVIII. jus etiam consilio & opera Borczenſe  
A. C. 1739. munimentum, quo non ita pridem  
 Cæſarei exceſſerant, ejectionis cum clade  
 Turcis recuperatum, & majora belli  
 tormenta ex omnibus murorum stationibus tam crebro, tamque tuto fulminata, ut erecti hostium suggestus unacum machinis corruerent: unde ea erat inter Belliduces opinio, quod si confestim ad primum Turcarum accessum continens majoris plumbi globorumque grando in eos fuisset effusa, eorum labores & conatus in irritum cecidissent: ceterum Fœderatorum copiarum partim crebris cladibus, partim fœde grassantibus morbis longe magis erant accisæ, quam ut sine valido militum supplemento haud sperando obsidio solvi, aut quid majus in hostium perniciem tentari potuisset:

Hic erat tum obsessæ urbis status, quo conspecto Comes Neuberghus nec a Cæſare jussus, nec permissus ultro ad hostium castra progressus cum Vezirio de Urbis dedendæ conditionibus egit, ac in probrosum pacis tractatum præceps ruit, non sine maxima Cæſaris indignatione ac dolore, & vix reparando Christianæ Reipublicæ damno.